



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Regvlæ Societatis Iesv

Angeli, Bernardo d'

Romæ, 1616

Regulæ Coqui.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68329](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68329)



REGVLAE

C O Q V I.

Munditiam
in se, & alijs
curet præfer-
tim in ijs quæ
ad egrotos.



IN ijs omnibus, quæ ad suum
munus pertinent, mundi-
tiam seruet ipse, & ab alijs
seruandam curet, detque
operam, vt omnia recte &
opportune parêtur, ea præ-
fertim, quæ ad ægrotos pertinent.

Epulæ vt tra-
ctanda.

2 Carnes, pisces, & alia, quæ ad men-
sam portanda sunt, dum secat, & distribuit,
digitis minime contrectet, sed fuscinula, aut
cultello ad eam rem vtatur.

Cibi quo tem-
pore parati.

3 Semihora, aut saltem quarta horæ par-
te, antequam in mensa sit sedendum, præpa-
rati cibi omnes esse debent.

Portiones.

4 Circa qualitatem, & quantitatem por-
tionum, ordinem à Superiore datum se-
quetur.

Nemo præter
infirmarium
in culina præ-
paret.

5 Coquere, aut aliud quippiam pro ali-
quo particulari parare, Infirmario tantum
excepto, neminem finet, neque ipse faciet
fine

sine Superioris facultate.

6 Scriptum in codice habeat catalogum rerum quarum est vsus in coquina, quas ipse seruare debet. Catalogus rerum.

7 Diligenter aduertat, ne plura quam necessaria sint, ligna comburantur. Hanc si- militer diligentiam in rebus quas consumit, adhibebit, ne quid non necessarium insumatur, vt religiosam paupertatem decet. Paupertatis cura.

8 Quæ ex mensa supersunt, eique traduntur, conseruabit, memor paupertatis; vt & domesticis, & externis pauperibus vsui esse possint, iuxta ordinem Superioris. Quæ supersunt vt conseruabit.

9 Si quem haberet adiutorem, curet, vt eum verbo, & exemplo suo ædificet, præsertim Nouitios. Adiutores ædificet.

